Quaestio Cardinalitia

Matutinis Disputationibus In Scholis Medicorum Paris. die Jovis 10a Martii M.

Claudio Boyvin Doctore Medico Praeside.

An Melancholiae hypocondriacae vena sectio?

Principis Animae facultatis, quae in cerebro sensus et motus principio, sedem habet, functio si depravetur παράνοια dicitur, quasi mentis alienatio in morbo quovis suspecta, quae alias cum febre consistit, ut phrenitis omnium perniciosissima, et παραφροσύνη quae cum rixa deterior, alias febre vacat, quae in melancholiam et maniam distinguitur: utriusque idem subiectum sed causae dissident, et diversa symptomata: causam enim illa habet frigidam, haec calidam: illic metus, et moestitia prae caeteris dominatur, hic furor et audacia.

Melancholia ab ipso humore unde nascitur nomen habet, cuius duae sunt differentiae, prior cerebro peculiaris ab eius vitio solo nascitur [illegible] intemperie frigida, sicca vel cum materia quae morbis cerebri plerumque succedit: altera cerebro cum toto corpore communis, cuius causae internae sunt iecoris, cordis totiusque corporis intemperies frigida quae sanguinem inurasse, vel calida quae adurit: lienis imbecillitas vel obstructio mensium, variciumque et haemorrhoidarum suppressio: Externae causae qualia edulia, cura, moerore, vigilias, et caeteras animi contentiones.

Ad hoc genus melancholiae refertur quae a sede laborante hypocondriaca nominatur, levissima quidem sed frequentissima, et cognitu curatuque difficillima. partes quae in ea laborant sunt iecur, lien, mesenterium, et interdum uterus. Causa proxima est intemperies calida sicca obstructionis sobolis quae fit a crasso et melancholico humore solo, vel mixto cum utraque bile aut pituita: qui cum effervescit multos vapores excitat non solum vicinis partibus, sed etiam corpori universo damnum inferentes.

Hinc magno cum murmure flatus intus fremunt, ructus frequentes, ventrisque, rugitus et vomitus excitantur. fames interdum acuitur, pepsis depravatur, nauseat ventriculus, et continua sputatio materiam suggerit, praecordia aestuant, tenduntque hypocondria, respiratio, quae vitalis est, impeditur, facies rubet, frigidi manant sudores, cor palpitat, vertigo, exolvuntur, dolores punctiles toto corpore concitantur, premuntur artus lassitudine, caput denique trahitur per sympathiam: unde vigiliae, somnia terrifica, anxietas, metus, et moestitia, melancholicorum omnia signa certa.

Tam morosi et contumacis morbi curatio quamprimum suscipienda tum victus ratione humectante citra caloris excessum tum pharmacis evacuantibus, alterantibus, et roborantibus. Inter evacuantia praeferenda est venae sectio utriusque cubiti alternis vicibus celebranda: praemisso tamen enemate vel aliquo eccoprotico blando, ut cassia: depletis tum vasis leniori [illegible] purgatio et phlegmagogis, et melanagogis, senna et agarico reiectis vehementioribus: purgato corpore locus erit alterantibus iulepis, apozematis, frequentibus enematis, aquis [illegible], balneis aquae dulcis, [illegible] cardiacis, hypnoticis, flatus discutientibus, denique topicis partes quasque [illegible] atque vitales roborantibus: quibus adiungi solet sectio internae malleoli quae mensibus [illegible], et [illegible] haemorrhoidibus magnum affert adiumentum.

Ergo Melancholiae hypocondriacae convenit venae sectio.

Asserebat Gabriel Piard Cenomanensis. Anno salutis. 1608.

F.M.P. BIBLIOTHÈQUE